

possit absque speciali licentia celebrare in Ecclesia monialium, ad quarum confessiones audientas est deputatus. Immo & iis ministrare Eucharistiam, & concionari, durante facultate ad confessiones.

Resp. Videri, quod sic; quia cum Confessarius ordinarius monialium sit illarum Parochus, & earum Ecclesia dicatur quasi Parochialis. *Bordon. Miscel. dec. 129.* Confessarius quoque extraordinarius, durante illius munere, censendus erit pro illo tempore Parochus, cum succedat in locum, & jurisdictionem Ordinarii. Unde poterit in monialium Ecclesia, tanquam in sua Parochiali, celebrare, Eucharistiam ministrare, nec non coram illis concionem habere, cum hæc omnia ad munus pastorale pertineant. Nihilominus, nisi concurrat consuetudo, & ex circumstantiis possit præsumi voluntas Superioris, oppositum sustinendum puto, quia celebrationis, communionis, & concionis actus sunt diversi ab exercitio confessionis; a diversis autem non fit illatio. Et hoc præcipue attendi debet quoad actum concionandi, ut optime advertit *Tambur. de jur. Abbat. disp. 15. q. 9. n. 1.* Tum quia praxis communis est in contrarium, tum quia ex reprehensione facta alicujus defectus inter concionandum, alicui moniali minus prudenti, & plus æquo suspicari potest suspicionem ingerere, se loqui ex noticia habita in confessione, ejus rei cavenda est etiam quælibet remotissima suspicio, ne moniales neque in minimo possint diffidere de sigillo. Vide *Pignatell. s. 8. consult. 62. n. 33.*

C A P U T VII.

De Monialium obligatione quoad Clausuram.

§. I.

De Clausura in communi.

Quar. 1. Quid veniat appellatione clausuræ.

Resp. Venire totum illud spatium monasterii, ad quod liber est accessus ipsis monialibus, & non sæcularibus personis. Clausura consistit in indivisibili; quare si monialis ad unum, vel duos pedes exeat, quamvis statim regrediatur, clausuram violat. Item si ambobus pedibus se transferat extra januam limites clausuræ terminantem, etiam si sit intra illius spatium, quod est intra monasterii portam clausam, & inter aliam sæcularibus patentem. Ita *Rodriq. & Sanch. in sum. c. 15. n. 7. l. 6.* Item si appenso fune ex liminari ostii clausuræ monasterii, eaque manibus apprehensa se toto corpore a terra elevatam agitet motu reciproco, modo intra clausuram, modo extra. Item si ascendat arborem positam in horto monasterii, & procedat ad ramum omnino prominentem extra murum clausuræ. Neque excusari potest præfata monialis ratione parvitatæ materiæ, quia clausura, ut diximus, certis terminis definitur, quos æque excedit is, qui a monasterio longe recedit, ac qui ad duos pedes egreditur. Ita *Bonac. rr. de Claus. q. 1. pun. 4. num. 2.* Contrarium docent *Naldus, v. clausura, n. 1.* *Grassius, &*

Merolla, quod non admittit Sanch. lib. 6. c. 16. n. 30. ubi tantum concedit materiæ parvitatem in ingressu, **vel** egressu semipieno, nempe quando pars corporis est intra, pars extra, ita ut non referat, si major pars sit intra, aut extra; nam cum totum corpus non est intra, aut extra, perfectus egressus, aut ingressus non datur. Quare non violat clausuram monialis si ascendat murum monasterii, eique virili more quasi equitans insideat.

Quar. 2. An limen ostii sit intra, vel extra clausuram.

Resp. Aferunt aliqui apud Sanch. l. cit. else intra clausuram. Negant alii, quia limen ostii partim est intra, partim extra clausuram. Distingunt alii, si clauso ostio limen remaneat intra, erit comprehensum in clausura, si vero extra remaneat, dicitur extra clausuram. ut per Bart. in l. 1. ff. de cloac. dec. 402. n. 11. Eodem modo aliqui discurrunt de rota; unde monialem, quæ seponens in rota eam volvit ad partem exteriorem, ad quam accedunt sæculares, non tamen egrediendo e rota, alii absolvunt, alii condemnant, præcipue Comitol. apud Bonac. loc. cit. ubi advertit, quod monialis forte graviter peccat ratione alicujus periculi moralis.

Quar. 3. An tectum sit extra clausuram.

Resp. Negat Diana, & cum illo plures alii p. 5. tr. 13. ref. 88. At affirmative respondit Sac. Congreg. dum mandavit absolvi cum pœnitentiis salutaribus quasdam moniales, quæ bona fide ascenderant supra tectum ad siccanda frumenta, & pastas ab ipsis elaboratas, sive ad videndum quoddam festum, cum speciali prohibitione illuc ultra ascendendi propter quamcunque causam. Ita in Comensu 18. Sept. 1609. & in

Eycien. 16. Septemb. ejusdem anni: Bonac. vero, & Sanch. loc. cit. distinguendo sistent, quod si tectum monasterii correspondeat spatio extra clausuram, censetur extra clausuram; secus vero si spatio intra clausuram correspondeat: quia tunc reputatur quædam pars monasterii.

Quar. 4. An monialis urbanitatis, vel curiositatis gratia egrediens e proprio monasterio, & in aliud contiguum ingrediens, violet clausuram.

Resp. Non videtur violare formaliter, sed tantum materialiter; clausura enim est locus ille, qui janua clausa continetur, ad quem sæcularibus non patet accessus, ut ex Gregorii XIII. Constit. colligunt Sanch. in decal. lib. 7. c. 15. n. 6. Donat. r. 3. tr. 3. q. 1. n. 5. & Mendo v. monast. n. 3. Unde clausura duo dicit de suo formali, nempe quod sit locus, qui janua clausa continuatur, & quod sit locus, ad quem sæcularibus non patet accessus; adeoque violatio formalis, & perfecta est egressus e loco, qui janua clausa continetur, ad locum, ad quem sæcularibus patet accessus. Hujusmodi autem non est egressus monialis ad monasterium immediate contiguum, quia est egressus de clausura ad clausuram. At violare formaliter clausuram censetur Pelliz. & Bord. quia monialis non proficitur clausuram in communi, sed propriam sui monasterii. Tum quia sicut unum monasterium constituit diversam communitatem ab alio, nec cum alio communicat in regimine; sic etiam constituit diversum locum, juxta ea, quæ notant Abbas in c. nimis de jure jur. Card. in Clem. 2. §. 1. q. 4. & consequenter cum alio non communicat in clausura. Quare monialis prædicta est rea violatæ formaliter clausuræ, & quidem

dupliciter, sunt enim duo actus, egressus videlicet, & ingressus, unde etiam duplicem contrahit excommunicationem, prout rescripsit Sac. Cong. Archiepiscopo Panormitano 21. Augusti & 14. Septemb. 1699.

Quar. 5. An Clausura sit juris naturalis, divini, vel humani positivi.

Resp. Esse juris humani positivi, constat ex pluribus decretis, & Constitutionibus summorum Pontificum, ut videre est apud Nald. v. clausur. n. 4. & Cherub. Et expresse clausuram istam imposuit Trid. sess. 25. c. 5. de regul. Cum igitur clausura sit juris humani positivi, sequitur, quod a clausuræ legibus excusabuntur moniales in iis locis, ubi præcepta clausuram indicentia non sunt recepta, vel ubi contraria consuetudine sunt legitime abrogata. Azor. & Sanch. quos refert, & sequitur Bon. q. 1. pun. 3. n. 2. Quod tamen non procedit quoad illas moniales, quæ sub expresso voto se obligant ad clausuram.

Quar. 4. Quibusnam competat monialium clausuram tam formalem, quam materialem custodire.

Resp. Jus cogendi moniales Episcopo subiectas ad observantiam clausuræ spectare ad ipsum Episcopum auctoritate ordinaria. In monasteriis vero sedis Apostolicæ immediate subiectis spectare ad Episcopum auctoritate delegata. Quoad moniales autem Regularibus subiectas, certum est, Episcopum nullum jus habere auctoritate ordinaria; ideo enim vocantur exemptæ, quia non subduntur iurisdictioni Episcoporum ordinariæ.

Quar. 7. An saltem competat Episcopus custodire clausuram in monasteriis exemptis auctoritate delegata.

Resp. Auctores Regulares rationibus, &

au-

auctoritatibus Doctorum ducti mordicus sustinent, nullam Episcopi esse delegatam iurisdictionem super moniales exemptas etiam in ordine ad clausuram. Ita Navar. Sanch. Tamburin. Miranda, Pellizar. & alij, & hanc sententiam probabilem putat Thom. Delbene de Immunit. c. 14. dub. 22. n. 20. Nihilominus certissime tenendum est, competere Episcopis auctoritate delegata monialium exemptarum clausuram tam materialem, quam formalem custodire. Clare habetur ex Constitutione Gregorii XV quæ incipit Inscrutabili, & Sacra Congreg. pluries censuit, licere Episcopo quoties opus esse iudicaverit, monasteria monialium Regularibus subiectarum quoad clausuram visitare, monialesque ipsas in his, quæ ad clausuram pertinent alloqui, & examini subicere absque Regularium interventu, & ipsis inconsultis, & scribens Archiepiscopo Mediolanensi dixit: Episcopus visitans clausuram monialium Regularibus subiectarum potest ipsas examinare in his, quæ pertinent ad clausuram, & potest etiam sermonem habere ad moniales intra, vel extra ad crates, & Sacramenta ministrare, die 23. Martii 1578. & die 24. Aprilis 1579.

Quod autem custodia clausuræ in monasteriis exemptis demandata sit etiam formaliter, habetur ex Sac. Congreg. Episc. & Regular. quæ censuit, quod moniales Regularibus licet subiectas alloqui nemo possit absque licentia Episcopi vel ejus deputati, die 24. Augusti 1594. quod censuit etiam in Urbinat. die 13. Martii 1663. Cum enim quæretetur, an in edicto, quod nemo ingrediatur monasteria monialium, vel cum ipsis loquatur sine licentia Archiepiscopi, possint comprehendere moniales Sancta Clara

K 5

exem-

exempla a jurisdictione Archiepiscopali, Sacrae
 &c. respondit affirmative. Deinum hoc declara-
 vit Sacra Congr. Concil. approbante Clem. IX.
 die 11. Maii 1669. quod Decretum confirmatum
 etiam fuit ab Innoc. XI.

Quar. 8. An prædicta facultas competat lo-
 corum Ordinariis cumulative quoad Superiores.
 Regulares, vel privative.

Resp. Spectare cumulative. Ita Sac. Congr.
 Episc. in Fossinea. 31. Augusti 1658. independen-
 ter tamen a Superioribus Regularibus; ita quod
 Superior Regularis non possit prætere
 visitare velle clausuram monialium sibi subjectarum
 simul cum Episcopo, vel assistere ejus visitatio-
 ni. Eadem Sac. Congregat. in Fulginaten. 10.
 Januarii 1648.

Quar. 9. An, si aliquod monasterium habeat
 privilegium, quod non possit nisi semel ab Epi-
 scopo visitari, hoc tamen non obstante visitari
 possit, si occurrat aliquod fortuitum, ratione
 cujus probabiliter timeri possit, quod clausura
 palsa sit aliquod detrimentum.

Resp. Posse visitari. Ita Pasqual. in Lauret.
 n. 29. Quia privilegium, quod possit tantum se-
 mel visitari, non excludit casus extraordinarios,
 pro quibus visitatio clausuræ est moraliter neces-
 saria. Cum enim valde intersit monasterio, &
 utilitati singularum monialium perfecta obser-
 vantia clausuræ, vergeret in detrimentum mo-
 nasterii, si non posset applicari remedium,
 quod a Concilio institutum est pro tali obser-
 vantia; & ideo talis applicatio non excluditur a
 privilegio, quod cum sit concessum in commo-
 dum, & favorem monasterii, non debet effe-
 ctum contrarium operari, juxta regulam juris.
 l. Nulla jurisd. ff. de legib.

Quar.

Quar. 10. Quomodo monialium clausura de-
 beat custodiri.

Resp. Monialium clausura ita debet custodiri,
 ut sit circumscripta altis mœniis, ne a vicinis,
 quicumque isti sint, & ex eorum ædibus mona-
 steria inspiciantur. Et ideo pro opportuno re-
 medio potest Episcopus extollere murum virida-
 rii Regularium, sumptibus, cui de jure, Sac.
 Congreg. Concil. in Urbinaten. 10. Martii 1663.
 & claudere fenestras saltem vitreis speculis, si
 non respondeant in clausuram, ita ut non pos-
 sint aperiri. Ita etiam fenestræ omnes, quævis
 & quævis alia foramina Regularium respicientia
 in hortum, & clausuram monialium, omnino
 claudenda sunt. Sac. Congr. Episc. in Ameri-
 na 23. Decemb. 1603. nulloque modo debet esse
 prospectus in monasteria monialium, & econ-
 tra, ne quidem a fenestris turris campana-
 riæ alicujus Ecclesiæ vicinæ, ut in Portuga-
 len. 16. Aprilis 1605. sed pleno muro fenestræ
 debent obstrui, ut in Aquilana 31. Julii 1612.
 etiam illæ, quæ sunt in monasterio monialium
 per quas videre possunt, ac videri, ut in
 Farmensi 28. Novembris 1636. Quinimo prohi-
 betur monialibus sub gravibus poenis usus
 telescopii, seu conspicii tabulati longioris,
 ut in Anconitana 1. Octobris 1647. Nec alicui
 debet permitti ædificium tollere, si per il-
 lud habeatur prospectus in monasterium, ut
 in Interamnensi 15. Maii 1612. suntque demo-
 liendæ mansiones constructæ in viculo inter-
 medio, & claudendum est ambulacrum, quod
 a tecto monasterii imminet, eique prædomi-
 nar, ut in Assisim. 11. Junii 1653. non ob-
 stante qualibet appellatione, vel recursu, ut
 in Conversanensi & Augusti 1653.

¶ 6

Quar.

Quar. 9. Quanam veniant nomine monialium, quæ clausuram servare debeant.

Resp. Venire omnes illas fœminas, quæ professionem emittunt in religione approbata & in congregatione vivunt, cuiuscunque Ordinis sint. Unde si al quæ fœminæ solemnem professionem facerent hac conditione, ut in domo propria manerent, non tenerentur ad clausuram, quia jura obligant ad clausuram moniales in congregatione viventes. Contrarium dicendum est de illis, quæ in Congregatione vivunt, quamvis tempore professionis habuerint animum non se obligandi ad clausuram, cum onus clausuræ non oriatur a voluntate monialium, sed ex dispositione summorum Pontificum moniales professas ad clausuram obligantium. Videatur Miranda *tract. de monial. q. 1. art. 4. concl. 5.* Fœminæ vero, quæ non sunt veræ moniales, quamvis aliqua vota simplicia emittant, clausuræ legibus non ligantur, etiam si vivant collegialiter, atque sub obedientia vel spontanea, vel etiam privato voto, aut pacto promissa, nisi tamen habuerint statum ab Ecclesia pro religioso approbatum, & in eorum vota substantialia emiserint. Solummodo tenentur ad observantiam Constitutionis S. Pij V.

S. II.

De Licentia ad ingrediendam clausuram requisitam.

Quar. 1. **C**uam competat concedere licentiam ad ingrediendam clausuram.

Resp. Soli Episcopo competere jus concedendi licentiam ad ingressum auctoritate qui-

quidem propria in monasteria sibi subjecta, auctoritate vero delegata in iis, quæ Romano Pontifici immediate subsunt. Quoad monasteria vero exempta, & Regularibus subjecta, licet Franciscus Leo, Quaranta, & alii, immo & Sac. Congr. Conc. antiquius tenuerint ad Superiores Regulares spectare licentiam hujusmodi concedere, nihilominus eadem S. Congr. *sub die 13. Novemb. 1610.* statuit, & decrevit, *ut deinceps intra hujusmodi septa nemini ingredi, nec alloqui liceat, nisi licentia concedenda in casibus necessariis, qua moniales respiciant, ne dum a Superioribus Regularibus dictorum monasteriorum, sed etiam a locorum Ordinariis obtenta fuerint, non obstantibus quibuscunque contrariis, legibus, statutis, & consuetudinibus immemorabilibus.* Immo eadem Sac. Congr. *sub die 21. Maii 1630.* Urbano VIII. approbante, statuit, & decrevit, in illis locis, in quibus adest consuetudo, ut licentiæ hujusmodi ab Episcopis tantum concedantur, talem consuetudinem esse observandam, & ipsorum Episcoporum tantummodo licentias sufficere etiam private quoad ipsos Regulares. Idem fuit resolutum *in Auximana die 15. Julii, & in Perusina die 12. Aug. 1643.*

Quar. 2. Quanam alii possint prædictam licentiam concedere.

Resp. Posse Vicarium Generalem, si ad hoc habeat speciale mandatum; non enim sufficit generalis facultas, ut declaravit Sac. Congrat. teste Suarez *de Relig. t. 4. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 11.* Capitulum quoque, Sede vacante, ejusque Vicarium etiam quoad monasteria exempta, quia succedit etiam in jurisdictione delegata, quando hæc est in perpetuum commissa muneri Episcopali, ut diximus.

rimus c. 5. §. 2. q. 2. Item Episcopum electum & confirmatum, quamvis non consecratum, cum possit jurisdictionem exercere, c. *transmissam de electi.* tum Abbates seculares, tum similes Abbates inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, si habeant monasteria sibi subiecta, *Cassian. a S. Elia v. Clausura m. 114.* Ubi viget consuetudo, quod Superiores Regulares concedant dictam licentiam pro monialibus sibi subiectis, polent hac facultate Provinciales, quia veniunt nomine Superiorum, cum sint veluti Episcopi quoad jurisdictionem respectu suorum subditorum, non vero veniunt Prælati locales. Poterunt tamen Generales, vel Provinciales committere hanc facultatem alicui Prælato locali; qui item sit Prælatus localis monialium; seorsus non possent committere, ut advertit *Suar. loc. cit. c. 10. n. 14.* quia Tridentinum vult, solis Superioribus hanc facultatem competere, tales autem simpliciter dicuntur illi, qui sunt in capite. Oppositum sustinet *Pasqual. in Laur. n. 316.*

Quar. 3. An Abbatissa possit dictam licentiam concedere.

Resp. De jure ordinario non potest. Ita *Monach. c. periculosis m. 1. & 2. de statu regul. in 6. Domin. n. 10.* Etanc, n. 7. & alii, quia illi us est licentiam dare, cujus est clausuram indicere; potest tamen ei competere per delegationem Superioris, *ex d. 1. de stat. regul. in 6.* & tradunt *Navar. Grass & Manuel*, quos refert, & sequitur *Sanchez loc. c.* Nunquam tamen ex natura rei excluditur Abbatissa, aut monasterii consensus ultra Superioris facultatem ad ingrediendam clausuram, quamvis sit dabilis casus, quando Prælatus possit licentiam concedere, ac cogere, ne moniales ingressum impedian, & hoc pendet ex modo

modo jurisdictionis, & causæ hic, & nunc occurrentis. *Cassian. sup. n. 105.*

Quar. 4. An licentia ingrediendi monasteria monialium debeat esse in scriptura.

Resp. Affirmative. Constat ex illis verbis Concilii, *Licentia scriptis obtenta.* Et proinde deficiente scriptura, licentia erit nulla, quia non servabitur forma in concessione a Concilio præscripta; ablativum enim absolutum importat conditionem, *l. a testatore ff. de cond. & demonstr. & notand communitur Doctores:* & proinde importat etiam formam, *Bald. in Auth. Matri & Avia. Surd. conf. 371. n. 69.* & ideo in forma specifica impleri debet; ita ut si non impleatur, actus sit nullus. *Merlin. dec. 247. n. 10.* Hinc si Superior generalem licentiam ingrediendi concedat omnibus illis, quos Abbatissa, vel Confessarius necessarium esse judicaverit, debet in scriptis hanc concessionem facere, quia illa concessio est vera licentia pro ingressu. Ita *Sanch. & Castrop. p. 3. disp. 4. q. 10. §. 2. n. 6.* Verum si quis ingrediatur cœnobium monialium cum licentia oretenus tantum concessa, non peccare mortaliter, nec pœnas incurrere, sentire videtur *Sousa*, quia defectus scripturæ censetur levis. Immo *Homobonus*, & *Bellochius*, quos refert, & non rejicit *Diana p. 3. tr. 2. res. 129.* docent absolute non requiri licentiam in scriptis, nisi quoad forum exterius; nam in interiori animæ foro, in quo veritas attenditur, sufficit, ut consensus jure naturali requisitus interveniat. Quod admittit etiam *Lamas in Methodo curat. in append. §. 6.* quando causa est clara, ut in ingressu Confessoriorum, Medici, Chirurghi, & aliorum hujusmodi necessariorum monialibus, quia omnes isti excipiuntur

tur incap. periculoso, juxta Gl. v. causa defert. Regul. in 6. Attamen illas excipi, negat Sanchez. ubi supra n. 33. quia Concilium absque ulla exceptione licentiam in scriptis requirit.

Quar. 5. An hujusmodi licentia debeat esse specialis.

Resp. Affirmative, ita ut non sufficiat, si facultas alicui concedatur ad quoscunque actus, quos Superior potest concedere, habetur expresse in d. cap. periculoso, nisi speciali licentia. Non tamen per hoc est invalida licentia generalis, ut omnes Medici, Chirurgi, bajuli, alique similes ingrediantur; quia licet sit generalis quoad personas, tamen est specialis quoad licentiam ingressus. Miranda de Monial. q. 2. a. 4.

Quar. 6. An in aliquo casu possit quæ ingredi clausuram sine licentia nec in scriptis, nec oretenus concessa.

Resp. Possit, quotiescunque ex dicta licentia expectatione grave damnum immineret. Non enim lex humana obligat cum eo rigore. Navar. Graff. & communiter. Unde si contingat, quod aliquis Sacerdos simplex sive Regularis, sive Sæcularis vocetur ad ingrediendam clausuram, ut confessionem monialis ex inopinato casu morientis audiat, vel extremam unctionem administret, potest, & tenetur ingredi, confessionem excipere, ac extremam unctionem ministrare. Similiter in casu incendii, ruinæ monasterii, violentiæ illatæ, & similium eventuum, licitum est monasteria ingredi absque licentia.

Quar. 7. An saltem in prædicto casu postulanda sit licentia ab Abbatisa.

Resp. Si Abbatisa commissa sit facultas licentiam concedendi, certum est ab Abbatisa esse

esse postulandum. Si vero talis facultas non sit commissa, variant Doctores, an ejus sit postulandus consensus. Affirmant Rodriq. & Sanchez, quia credendum est, Prælatum pro his casibus urgentibus quibus consuli non potest, vices suas Abbatisæ commississe, ut sic majori cum decentia ingressus fiat, & quoad fieri potest, lex de præmittenda licentia observetur. Sed cur in his casibus sustineri non potest, Superiorem, immo & Papam immediate licentiam impertiri cuicunque alteri ad occurrendum monasterii indigentis necessario? Ideo non esse postulandum ab Abbatisa talem licentiam, docent Navar. Graff. & plures alii.

Quar. 8. An licentia absolute, & indefinite concessa extingatur prima vice.

Resp. Castrop. loc. cit. & alii putant pro una vice tantum valere, tum quia est dispensatio in lege, & ideo stricti juris, tum quia sermo simpliciter prolatus præsertim in odiosis intelligitur de unica vice, l. Boves, §. hoc serm. ff. de verb. sign. Contrarium sustinet alii, præsertim Jan. de cas. refer. res. 28. quia sermo indefinitus æquivaleret universali. Censeo cum Pasqual. in Laur. n. 31. §. est etiam, quod inspicienda sit causa, quæ moveat ad concedendam illam licentiam, quia accipit declarationem ab ipsa; quare si causa requirit plures actus, eandem extensionem recipiet etiam licentia. Hæc tamen doctrina non habet locum in licentiis concessis a Papa, quia ut plurimum non respiciunt indigentiam monasterii, sicuti respiciunt licentiæ concessæ ab Episcopo, vel aliis Superioribus, quæ concedi non possunt nisi ex causa necessaria, unde illæ debent strictè interpretari. Quare si Pontifex concedat alicui,

234 De *Causa concedendæ licentiam*.
cui, quod tribus vicibus ingredi possit tria
monasteria, non poterit ingredi tribus vicibus
singula monasteria, sed semel tantum, quia
numerus trium respondebit numero monaste-
riorum. Ita declaravit Paulus V. in Constitut.
quæ incipit *Facultatum* sub die 1. Sept. 1608.

S. III.

*De Causa requisita ad concedendam
dictam licentiam.*

Quar. 1. **Q**uænam est causa requisita ad hoc,
ut dicta licentia concedi possit.
Resp. Debet esse causa necessaria, ut habet
Concilium, quæ deficiente licentia erit nulla
ex defectu potestatis, quia conceditur solum
pro casibus necessariis. Ista autem necessitas,
non est necessarium, quod sit absoluta, sed
sufficit quæcumque necessitas, quæ, attentis
circumstantiis, exhibeat rationabilem causam.
Quia decretum Concilii sumit declarationem
à jure communi; de jure autem communi suf-
ficit rationabilis causa, quæ debet esse manife-
sta, ut in *cir. c. periculoso*; & ita cum aliis
notat Tambur. *disp. 24. q. 1. n. 1.* & Barb. *l. c.*
n. 48. Sufficit tamen quod sit manifesta soli
Prælato, quia solius Prælati est iustitiam cau-
sæ judicare. Ita cum Lezana, Bonac. & Ro-
driguez. Delbene *de immunit. c. 19. dub. 39. n. 3.* ubi
addit sufficere quod sit manifesta soli Prælato
moraliter, id est quod probabiliter judicet,
esse iustam, quia in moralibus probabilitas
sufficit ad recte operandum; secus si causa
fuerit tantum dubia. Sanchi, Tambur. & Barb.
l. c. ubi dicit minorem causam requiri pro
ingressu foeminarum, quam virorum, & pro
in-

ingressu diurno, quam nocturno, quia minus est
indecens; & pro ingressu matris, aut sororis,
vel alterius consanguineæ, quam extraneæ,
quia magis pietatem concernit; & pro in-
gressu in priora receptacula, quam in officina
interiores, & cubicula, quia minus clau-
suram offendit. Hoc tamen non placet Bonac.
de claus. q. 4. punct. 4. n. 2. Quia monialium clau-
sura formaliter violatur tam ingressu foemina-
rum, quam virorum, & tam ingressu ad loca
prope januam, quam ad longe remota.

Quar. 2. An necessitas, quæ requiritur ad
concedendam licentiam, debeat se tenere ex
parte monasterii, vel sufficiat, quod se te-
neat ex parte extraneorum.

Resp. Necessitatem debere se tenere ex parte
monasterii, nulloque modo sufficere, quod sit
ex parte extraneorum. Bon. *l. c. n. 8.* Quia in-
gressus in monasterium tantummodo permis-
sus videtur ob monasterii utilitatem, seu neces-
sitatem, nisi jus naturale, aut divinum aliud
suadeat. Sac. Congr. in *Ravennar. 9. Sept. 1611.*
Unde non licet Episcopis licentiam concede-
re, vel permittere mulieribus ex causa litium
matrimonialium, vel adulteriorum, aut dissen-
sionum inter viros, & uxores, ut securitatis
gratia sequestrentur apud monasteria monia-
lium. Immo ingredientiens etiam ex tali causa, &
cum hujusmodi permissione, vel licentia inci-
dere in excommunicatione, a Concilio im-
positam, tradit ex S. Congr. in *Salamantina p. 30.*
rr. 2. ref. 30. quam licentiam Sacra Congrega-
tio raro, & cum difficultate concedit. Pro
casibus tamen repentinis præcisæ necessitatis
conluevit ab Ordinariis, & Legatis anticipa-
ri licentiam obtinendo pro aliquo parvo nu-
mero

mero, in d. *Ravennat.* Neque talis licentia concedi potest ad effectum collocandi in monasterio virginum aliquam mulierem, ne revertatur ad vomitum, in *Mediolan.* 18. Aug. 1588. Neque ad docendum aliquam artem, puta ferici, vel texturæ, nisi cum conversa perita non poterit reperiri, in *Mediol.* 11. Mart. 1586. ac alibi. Neque regulariter ad conficiendum panem, in *Ravenn.* 15. Julii & 19. Aug. 1603. Neque aquam inferendi gratia, ingredientium, & egredientium mulierum continua conversatio permittenda est, sed intus accommodentur cisternæ, in *Alarren.* 3. Maji 1603. Multo minus videndi comædias, vel representationes recitatas a monialibus, neque de licentia Ordinarii, in *Anconitana* 4. Sept. 1627. Possunt tamen Ordinarii jure proprio, puellas, de quibus controvertitur, in monasteriis collocare ad tempus, donec lites finiantur. Pignat. 1. 8. *conf.* 47. n. 42. ex S. Congr.

Quar. 3. An qui licentiam ingrediendi obtinuit ex justa causa, quæ suberat tempore concessionis licentiæ, sed tempore ingressus cessavit, tutus sit in conscientia ingrediendo.

Resp. Ex Bonacina *loc. cit.* n. 19. negative, quia cessante causa dispensationis, cessat dispensatio. Neque pariter est tutus in conscientia ingrediens cum licentia ex falsa causa concessa, licet tempore ingressus justa causa superveniat; quia cum hujusmodi licentia ob defectum causæ fuerit nulla, superveniente causa non validatur; quod enim ab initio nullum est, tractu temporis non convalescit. Neque licitus est ingressus, si Superior conscius nullitatis causæ, nihilominus licentiam concedat. Quia ad validitatem licentiæ non sufficit libera voluntas concedentis, sed voluntas prudentis arbitrio ac-

com-

commodata, ut bene Menoch. *libr.* 1. *d. arbit. quæst.* 8. *numer.* 45. & 49. Tum quia talis licentia est irrita, quia deficit conditio, scilicet justa, & urgens causa, sub qua conceditur Episcopis facultas tales licentias concedendi, ut in *cit. c. periculoso*, deficiente autem conditione deficit concessio. Menoch. *conf.* 134. n. 30. Si tamen, qui licentiam obtinuit ingrediendi sine justa causa, bona fide ingressus est, excusatur a peccato, & a censuris; quia bona fides ab humanarum legum transgressione excusare solet.

Quar. 4. An qui clausuram ingressus est cum justa causa, & licentia, peccet contra obligationem clausuræ, & censuris afficiatur, si finito ministerio, cujus causa ingressus est, statim non egrediatur.

Resp. Aliqui, inter quos Bord. *ref.* 76. n. 74. Sanchez, & Zerola, docent, non violare clausuram, etiam si ibi multum immoretur, quia clausura non violatur, nisi quando quis sine debita licentia ingrediatur: Alii vero peccare censent mortaliter, quia, finito ministerio, cessat finis concessionis, & dispensationis præceptis addunt tamen, non incurrere censuram aliquam, seu pœnam, quia ista est imposita ingredientibus sine legitima licentia, & justa causa. Miranda, Rodriq Barb. *loc. cit.* n. 56. & alii, qui volunt, hoc non esse ita stricte intelligendum, ut quælibet brevis mora peccatum mortale constituat; quia hæc præcepta morali, & non metaphysico modo sunt intelligenda. Immo Diana p. 3. *et* 2. *ref.* 51. cum aliis excusat etiam a veniali breviter immorantem ex motivo curiositatis, aliquantisper divertendo ad invifendas officinas. Brevis autem mora censetur esse, quæ non excedit

q. 11.

quadrantem horæ. Sic Villalob. in sum. 1. 2. r. 35. diff. 49. n. 1.

Quar. 5. An ingrediens cum legitima licentia ex causa necessaria, sed simul habens intentionem turpiter loquendi, vel congregiendi cum moniali, delinquit contra præceptum clausuræ.

Resp. Graviter quidem peccare. sed contra præceptum clausuræ non delinquere, quia prava intentio non tollit priorem causam ingrediendi, ob quam Superior licentiam concessit. Ita videntur sentire Zerola, Sanchez, & Rodriq. apud Bonacinam loc. cit. ubi addit, quod non improbabiliter dici potest, peccare etiam contra præceptum clausuræ, quia licet ingressus non sit illicitus ex priori causa, est tamen talis ex posteriori.

§. IV.

In Clausura quoad ingressum Pralatorum.

Quar. 1. **I**N quibus casibus possint Episcopi, vel Superiores ingredi monialium clausuram.

Resp. Visitationis gratia, sed alterius rei necessariæ ingredi possunt monasteria monialium sibi subjectarum; similiter ut visitent officinas, dormitorium, cellas, suppellectilem, aut ad ædificium construendum, vel ruinam inans. Et tandem in iis casibus necessariis, & urgentibus, in quibus licentiam ab eis dare possunt; si enim possunt in his dispensare cum aliis, cur etiam non poterunt cum se ipsis? Miranda de Monial. q. 2. a. 14. concl. 11

Quar. 2. An possint ingredi clausuram sub præ-

prætextu interveniendi electioni Abbatissæ, aut examinandi moniales particulares.

Resp. Non posse sub pœnis a sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificiis latis, præsertim Greg. XIII. *const. 8. & const. 27.* incipien. *Deo Sacris.* Ratio, est quia prædicta peragi possunt ad monasteriorum crates. Sac. Congr. Conc. in *Siracusana 16. Octob. 1600.* Barb. v. *monialium clausura circa ingressum n. 2.* Limita tamen cum *Lantusca in Theatr. Regul. v. Clausura mon. n. 1.* nisi Prælati prudenter judicent, non posse dictam electionem canonicè fieri ipsis non intrantibus, ob inquietudinem monialium, & suspicionem subornationis votorum inter ipsas subortæ, aut ob alias causas justas a Superioribus prudenter examinandas. Ita etiam Barbos. *de jur. Eccl. lib. 1. c. 44. n. 171.* ubi fatetur, Sac. Congr. die 13. *Novemb. 1583.* decrevisse, non posse ingredi Superiores monialium monasteria sibi subjecta prætextu dandi habitum Novitiis, vel illas ad professionem recipiendi, aut Abbatissas consecrandi, vel solemniter velum concedendi monialibus. Ex quibus deducit Sanchez, non esse integrum Episcopis ingredi, ad Sacramentum Confirmationis ministrandum alicui moniali, nisi in periculo mortis.

Quar. 3. An Cardinales, & Episcopi ordinarii locorum ingredi possint clausuram monialium sibi non subditarum in eorum diocesi sub aliquo prætextu etiam visitandæ clausuræ.

Resp. Non posse; quod probatur *ex cap. periculofo,* & ex Conc. *Trid. sess. 25. de reform. cap. 5.* Et signanter de Episcopis resolvit *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 102. n. 42.* cum ibi adductis, & *Aldan. in compend. can. resol. lib. 3. tit. 20. n. 8.* testatur sic resolutum in una

JANUARI. 10. Maii 1637. Neque Cardinales Legati habent potestatem visitandi moniales, & ingrediendi clausuram, ut in Bonon. 30. Septem. 1650. approbante Innocentio X. Neque Vicelegatus potest ingredi sine Episcopi licentia, ut declaravit Sac. Congr. Episc. 9. Martii 1604. Neque Inquisitores, nisi ex causa S. Officii, ex Cong. S. Officii 16. Febr. 1628. Neque Magistratus, & deputati ad curam monialium debent ingredi cum Episcopo, nisi eos elegerint; ex eadem Sac. Congr. 1. Martii 1581. Neque permittere debet Episcopus deputati a Civitatibus aliquos, qui comitentur Visitatores Monialium Regularibus etiam subiectarum, prout decrevit eadem S. Congr. 12. Jan. 1616.

Quar. 4. Quibus in casibus Generales, Provinciales, & Visitatores possint intrare monasteria monialium sibi subditarum.

Resp. Extat circa hoc Const. Alex. VII. quæ incipit Felici, in qua sic habetur. *Intra fines Italiae, & Insularum adiacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuscunque aliis Superioribus Regularibus alioqui cura, & regimen monasteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit; intra septa eorundem monasteriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa Visitacionis localis, & hoc semel tantum in anno, ita ut in anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a Visitacione huiusmodi se omnino abjineat. Quod si ob clausuram, quæ a Sancta Tridentina Synodo, etiam in monasteriis exemptis, cura, & vigilantia Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno plures ingredi septa monasterii; tunc non aliter ingrediatur; quam cum presentia Episcopi*

Episcopi Diocesani, vel alterius persona Ecclesiastica seculari boni exempli, ac matura ætatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputata. Visitet autem Superior Regularis interiorum clausuram per se ipsum, non autem per alium; etiam si fuerit legitime impeditus; quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, & visitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam sumant in monasterio reflectionem.

Hinc clare deducitur, non posse Generalem Ministrum Fratrum Minorum ingredi monasteria monialium S. Claræ, quando ibidem celebrare voluerit, vel proponere Sororibus verbum Dei. Quod etiam adnotavit Barbosa d. deleg. 102. n. 45. tum ex Gregorii XIII. cit. Const. in qua revocantur omnia privilegia, tum quia celebrationem, aut prædicationem verbi Dei intra monasteria fieri non est necessarium, siquidem per fenestellam videre, audire possunt ipsæ moniales. Ingressus autem non conceditur nisi ex causa necessaria; quare Superiores ingredienti incurrent poenas, de quibus in d. Const.

Quar. 5. Quot personas secum possint ducere Prælati Regulares in actu visitationis monasteriorum Sanctimonialium.

Resp. Ex cit. Const. Alexandri VII. Si visitet Generalis, potest secum habere duos Socios sui ordinis; si alius 2. Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis etiam ratione officii. Qui quidem Socii assumantur exemptales, & maturæ ætatis, & in actu visitationis a Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, & ab ipso aspici semper possunt. Ac præterea Visitatori assistant quatuor

Confess. Monial. L mo;

moniales ex senioribus monasterii, quæ similiter, visitatione durante, nunquam separantur a Visitatore, & sociis.

Quær. 6. Quot, & quales personas conducere debeant Episcopi, & alii monialium Prælati, quando in casibus permisis ingrediuntur clausuram.

Resp. Gregorii XIII. in sua cit. Constit. in qua decernit, Episcopos, & Prælatos monialium debere ingredi clausuram cum comitatu, nullum verbum facit de numero personarum comitantium, sed paucos debere esse statuit, a paucis, sique senioribus, ac religiosis personis comitari. Miranda ad tres socios extendit. Victorius vero, & Bonacina quatuor, vel quinque socios seniores, & religiosos comites admittunt, & addunt, quod si ratione ædificii construendi cum Episcopo, vel alio Superiori monialium architectus, vel alius operarius negrediat, distatamen senioribus, & religiosis comitibus uti debent Episcopi, vel Superiores, quia architectus, vel alius operarius non ingrediuntur tanquam comites, sed ut artifices.

Quær. 7. Quinam veniant nomine personarum religiosarum, quas possunt Episcopi, & alii Superiores assumere in comites.

Resp. Non tantum venire Regulares votis religionis adstrictos, sed etiam sæculares religiosi moribus, & christiana pietate decoratos. Non veniunt tamen matronæ seniores christianis virtutibus insignes, licet verba personis comitari sint apta comprehendere etiam scæminas; nulli enim usureceptum est, quod matronæ quamvis sanctimonia claræ in comitatum adhibeantur. Ita ex Victorello Tambur. *disp. 24. q. 10. n. 4. qui q. 5. n. 6.* asserit prædictos Præ-

Prælatos in casibus concessis ingredientes, si ducant personas non religiosas, necenes, & plures quam quinque, aut si soli ingrediantur, non affici excommunicatione lata in prædicta Gregoriana, quia poenæ hujus Bullæ extenduntur tantum ad ingredientes in casibus non necessariis.

S. V.

De Clausura quoad Officialium, aliorumque ingressum.

Quær. 1. AN, & quando Medicus, alique monasterio inservientes possint ingredi clausuram.

Resp. In omnibus casibus necessariis posse ingredi, servatis servandis, juxta dicenda, cum debita Superioris licentia, quæ singulis quibusque trimestribus debet renovari ex decreto S. Congr. Regularium 27. Mart. 1588. & in Placentina 6. Jun. 1614. Medicus debet associari a duobus, vel tribus monialibus antiquioribus, debetque ingredi sine socio, aut alio Medico, nisi morbus sit valde gravis, quia in tali casu possunt etiam plures intrare ad inviscendam decumbentem. Barbof. *l. c. n. 37.* Nominè Medici non venit tantum graduatus, sed quilibet peritus in arte ad effectum, ob quem ingreditur. Ita ex Miranda notat Barb. n. 53. quia Medicus dicitur non a dignitate, sed a medendo. Unde si aliqua scæmina prægnans clausuram ingrediatur de licentia Prælati, poterit de licentia ejusdem ingredi obstetrix, ad illam juvandam in partu. Portel. Tambur. *disp. 24. q. 1. n. 5.* & alii

Quær. 2. An Medicus sub initium quadra-